

**Tristis consanguinitas, gloriosa scilicet haereditas, id est, affectuum p.n. haereditariorum theoria / [Johann Zeller].**

### **Contributors**

Zeller, Johann, 1656-1734.  
Metzger, Georg Balthasar, 1623-1687.  
Universität Tübingen.

### **Publication/Creation**

Tubingae : Typis Gregorii Kernerii, [1684?]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/ther3bb2>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

8  
TRISTIS CONSANGUINITAS.  
GLORIOSA scilicet HÆREDITAS.  
id est.

# AFFECTUUM p. n. HÆREDITARIORUM

*THEORIA,*  
SUMMO FAVENTE NUMINE.

*Authoritate & Jussu,*  
GRATIOSI COLLEGII MEDICI,

*in*  
Perantiqua Universitate Tubingensi,

*PRÆSIDE*

DN. GEORGIO BALTHA-  
SARE METZGERO, Med. Doct. Prax.  
Anatom. & Botan. Prof. P. h. t. Facultatis DECANO,  
DN. Præceptore ac Patrono suo omni honoris & observantiæ cul-  
tu ætatem prosequendo,

PRO LICENTIA,

legitimè capeffendi

Supremos in Medicina Honores,

*&*  
PRIVILEGIA DOCTORALIA,  
publico exhibita examini.

IN AULA NOVA.

*Ad diem Aprilis*

*à*

JOHANNE ZELLERO, Linzingeri,  
designato Physico Charopolitano.

TUBINGÆ.



TRISTE CONANGUITAS

CONIUGAL FELICITAS

ALFREDO

HERIBERTO

ALFONSO

ESTANISLAO

ANTONIO

ANTONIO

ANTONIO

ANTONIO

ANTONIO

ANTONIO

ANTONIO

ANTONIO

ANTONIO

ANTONIO

ANTONIO

ANTONIO

ANTONIO

ANTONIO

ANTONIO


ANTONIO

ANTONIO

ANTONIO

ANTONIO





THEOREMA I.

**D**Ari morbos tam organicos, quam similes, aut secundum omnia quatuor morborum genera, ut distinguit *Ioh. Conradus Wechtlerus*, Augustissimi Imperatoris *Leopoldi* personæ quondam Medicus *hom. or. & occid. l. 2. disp. 7. difficult. 14.* qui verbis *Arnoldi de Villanova parabol. Med.* in semine parentum hæreditantur, sive quorum à parentibus semina in liberos, quasi transplantatione factâ, propagantur, quorumque nati citius ut plurimum certiùsque *l. Fernelij, judiciò l. de morb. caus. II.* quam paternorum bonorum hæredes fiunt, ipsa rerum magistra, quotidiana experientia, abunde testatur, nec non Doctorum authoritas & sana ratio corroborant.

§. I. Dubitari quidem de his, præsertim organicis, *Paulus Ammannus paranes. ad disc. circa instit. Med. emend. l. 2. p. 2. c. 18.* cum pluribus videtur, imo figmentum putat *l. d. p. 3. c. 4.* dubitationisque rationem non unam *Gr. Horstius* collegit & refutavit *de morb. eorumque caus. & sympt. exerc. 6. q. 1.* & alibi, cui junge *Hipp. de loc. aër. & aqu. Gal. comm. in 6. aphor. 28. Zac. Lusitanum prax. hist. l. 1. c. 6. l. 2. c. 1.* nec ratio obstat, quin, qui externa corporis lineamenta, mores & valetudinem bonam in filios tubinde transfundunt parentes, internam partium dispositionem, imbecillitatem & morbos transfundere pariter valeant.



§. 2. Hæreditarii hinc communiter dicuntur, aut secundum *Fr. Oswaldum Grembsium hæreditales l. 2. arbor. integr. & ruin. c. 1. §. 10. Guer. Rolfinccius parentales, gentilitios, connatos vocat method. spec. Med. comment. l. 3. f. 2. c. 28. 35. & inter addenda ad l. 2. c. 33. seminales Helmontius, habituales Mercatus dicunt.*

## THEOREMA II.

Describo qualitates p. n. à generantibus simili labe jam ante infectis cum seminalibus principiis per ideam impressam genito communicatas.

§. 1. Unde facile contradistinguuntur aliis affectibus p. n., quibus cum affinitatem quandam alere videntur, quos inter (1.) *congeniti* communiter dicti morbi sunt, qui æque foetui in utero accedunt, cum hoc nascuntur, sive naturæ errore cum primis statim partium staminibus, sive his jam positis, ob parentum ægritudinem, admissio matris in usu rerum n. n. vitio, fiant, horum tamen ne umbrâ quidem ante in parentibus visâ. Ita cæcum *ἐκ γενεῆς*, S. Iohannes Evangelista describit c. 9. ex sanis conjugibus surdos & mutos editos *Fernelius* memorat, hydropticum in utero factum *Georgius Segeus* vidit *ephem. natur. cur. ad ann. 70. obs. 42.* nilque communius, secundum *Phil. Iacob Sachsum Schol. ad d. l.* quam motibus convulsivis foetus in utero torqueri, si gravidæ forte ex terrore, ira, tristitia humores commoverint. *Omphalodem enterocalem* ex matris culpa natam *Dominic. Panarolus pent. 2. observ. 1.* animadvertit, podicis defectum, quo cum puer in lucem prodiit ex matris imaginatione, *Gu. Fabritius Hildanus apud Greg. Horst. epist. med. l. 2. f. 20. epist. 1.* vidit, alii alia; At illi præexistunt specie iudem, sive in utroque, sive alterutro parente, indeque cum seminalibus statim principiis in sobolem traducuntur. *Franciscus Glissonius Mos* hæreditarios propriè sic dictos, hos impropiè vocat *de rachit. c. 15.* (2.) *Contagiosi*, quorum ab hæreditariis distinctionem *Thom. Braustus disput. med. 13. §. 41.* monstrat. (3.) *Franciscus Oswald Grembs*



*Exemplis.* silentium, ut nominat, morborum comparisonem cum his suppeditat *l. 9. c. 1. de morb. in genere.*

§. 2. Siftunt se hæreditariorum vestigia in omnibus corporis ventribus, imò omnium ventrium partibus, quorum digniora, ne copia obruar, vel digito solum ostendisse sufficiat, in iudicium à capite, ventre supremo, factò, ubi vix affectus occurrit, quem in sobolem à parentibus in liberos aliquando transisse, *De.* non observarint. *Capitis doloribus* perpetuis, quibus de parentes antea conquesti fuere, laborasse liberos *Th. Willisius* testis est *de anima brut. p. 2. pathol. c. 1. Vertiginosam* in prolem derivatam dispositionem *Gu. Rolfinccius* accusat *method. cognosc. & cur. affect. corp. part. disput. 2.* nec alienus ab hoc *Amatus Lusitanus* videtur, qui omnes fere *Ægyptios* duo morborum genera pati, oculorum obtenebrationem vertiginosam & testiculorum rupturam, testatur *c. 5. cur. 77.* cui tamen ut in aliis sublestæ sæpius fidei homini assensum suum addere detrectat *Valent. Henr. Voglerus* *disp. Inaug. de vertigin. §. 94.* hæreditariam *apoplexiam*, (quamverò in dubium vocat *Crato consil. med. 37. epist. med. 173.*), *Petr. Forest. l. 10. observ. 75. & 80. in schol. epilepsiam* *Petrus Poterius c. 2. curat. med. 48.* *Brunerus consil. pro epileptico p. 104.* *Th. Bartholinus c. 5. hist. anat. 61.* describunt, ipseque *Cous l. de sacr. morb. admittit.* *Triste seu melancholicum parentum delirium* subinde in filios ire, & quidem secundum *Plutarchum de tard. Dei vindictæ* necessitate quadam, *Hermannus Grube de morb. transpl.* ad stipulatur: *Hispanis* ita & plurimis *Galliæ* provinciis familiarem esse *Gu. Rondeletius* autor est *meth. cur. morb. l. 1. c. 41. alter. de melanch.* *Communis*, scribit *Willisius l. c. c. 12.* observatio est, homines à parentibus ortos quandoque insanire solitis, eidem morbo obnoxios fore sæpe etiam post 30. aut 40. demum annos; seros in nepotes *maniam* traduci expertus *Helmontius* consenti. *Stultos generare stultos, stupidos sui similes*, jam in proverbium abiit, nec pluribus sive verbis sive exemplis opus est, ubi res ipsa loquitur. *Philippus Grünlingius* debilis à parentibus profectæ *memoria* meminit *med. pract. l. 1. p. 1. c. 8.* assentiunt *F. Platerus t. 1. prax. c. 1. P. Laurembergius in mnemon. Cicer. De Somnambulatione iterum Willisius l. d. part. 1. c. 16.* *Novi*, inquit, in quadam familia, ubi & pater, & nati omnes huic affectioni sunt obnoxii, fratres noctu in somnis sæpe per domum discurrere, interdum convenire, ac invicem obvios factos comprehendere, adeoque



se mutuo exuscitare. Hæreditarium Alpinis malum etiam fœdæ *Strumarum* protuberationes secundum alios apud *Th. Bartholinum* sunt, de *nive* c. 34. forte etiam Carinthiæ & Styriæ incolis, quorum in collo decus & ornamentum audiunt ex propria civium confessione *ephem. nat. cur. ad ann. 1. observ. 57.* adde *Platerum* t. 3. p. c. 1. & 3. In oculos labem subinde hæreditariam transcurrere, nisi chartæ & personis parcerem, exemplo non uno probatum irem; vel sola *cataracta* sufficiat in præsens, quem puer in utero contraxit, apud *Greg. Horstium* p. 1. *epist. med. l. 2. f. 20. epist. 1.* matre ob intempestivam illachrymationem, gravidâ eâdem, ut *Dn. Meibomius* suspicatur *disput. de suffus. prius afflictâ*; plures *Buckischius* in ὀφθαλμοδελεία in infantibus recens natis observavit: *Ἀμύρωσιν* hæreditariam *Ioh. Daniel Major* *disput. de hac, palpebrarum niētationem* ἔππων *diētā Sennertus* l. 1. part. 3. f. 2. c. 10. notarunt, *Luscos* *luscis* nasci *Ambrosius Paræus* l. 23. de gener. hom. c. 22. affirmat. An *linguæ* subinde vitia hæreditarium contagium sapiant, dubium videtur. Communis quidem vox est, *balbos* *balbis* nasci; sed dubio procul consuetudini interdum & consortio aliquid dandum est: quid si enim ut juxta *claudum* habitans *subclaudicare* discit, ita cum *blæsis* pueros à teneris conversantes quid *blæsitatis* contrahere facile dixerim? vide *J. Rudolph. Camerarium* *memorab. med. c. 11. p. 41. 42.* hinc ferè in pueritia ita laborantes successu ætatis, cum vitium agnoscant, hujus capti tædio, sub conversatione aliorum recte pronunciantium, linguam non rarò corrigunt.

§. 3. Sed nec medius ab hæreditario contagio hoc venter immunis est: sæpe, quæ in parentibus vitiosa pulmonum constitutio latet, eadem in filium transvehitur. *Phthisin* hæreditariam characterem habere, quo se propagat & multiplicat *Michael Etmüllerus* de *chir. infus.* §. 7. *concl. 6.* cum *Avicenna* concedit, eâque certitudine nititur, ut *tabida* stirpe fati natique pari fere morbo omnes contabescere scribat *J. Fernelius* de *part. morb. & symptomat. l. 5. c. 10.* *Rombertus Dodonaus* avum, patrem & liberos omnes ita periisse notavit *pr. med. c. 31.* In quintam & sextam generationem excurrisse labem & cunctos enecuisse *Hieron. Fracastorius* l. 2. de *contag. morb. c. 9.* testis est, idemque fatum filia *Euryanæctis* apud *Hippocratem* malo suo experta fuit in *epid. Hemoptysin* ex dispositione hæreditaria etiam nasci *Wedelius* largitur, si ex familia *phthisica* oriundus æger est *disput. de Ægro hamoptoë laborant. p. 8.* Si nono



matrem mense pleuritis premit, proles etiam in pleuritidem proclivis ex *Fortun. Fidelis relat. med.* (quas non-nemo nuper, nescio qua fide, sub tit. schol. *Jctorum Medicâ*, cætera nec paginâ imò nec literâ quidem mutatis, *Thoma Reinesii* nomine edidit,) l. 3. c. 3. gignitur. *Asthmatis* dispositionem hæreditariam *Rolsnocius epit. pract. l. 2. p. 1. c. 2.* memorat, exemplo *Forestus munit l. 16. observ. med. 9. Febrium*, si locum his hoc loco cum *Paulo Barbette prax. l. 3. c. ult.* facere licet, hæreditarium contagium *Tb. Bartholinus c. 4. epist. med. 86. & seq.* suspexit reddit, idemque fœtui ex quartana gravidam tenente *Fortunatus Fidel. l. 6. minatur.*

§. 4. Nec rem aliter geri circa infimum ventrem, qui vel solam experientiam consulit, asseret; nihil & hîc ab omni parte beatum. *Nausea hæreditariæ & fastidij certorum ciborum Maurivius Hoffmannus* meminit *instit. med. disp. 9. piscæ Gr. Horstius l. 4. observ. 5.* Novi de connata ventriculi infirmitate conquerentem, non sibi solum propriâ, sed toti familiæ quasi domesticâ, vel levissimo in diætâ admissò errore, assumtisque sub nocte tostis aut frixis, tormina post se trahente exquisitissima; ex *hypochondriaco hypochondriacum*, à *lienoso lienosum* fieri *Autor de morb. sacr. confitetur. Scorbüticis scorbüticum nasci Gu. Charleton de scorb. p. 157. Drawizius de sympt. scorb. & nescio quis non?* concedunt, mirumque secundum *Reusnerum de scorb. ex. 5.* etiam malum in nepotibus recruduisse, totas aliquando familias infecisse *in not. Frider. Deckeri ad prax. Barb. l. 4. c. 3. ad tympanitidem suam etiam Πισβάλλον μέρος* parentalis dispositio contribuit *Richtero* iudice *disp. de hac. Nephriticorum* meminisse terret, qui suis ut plurimum parentibus gloriosam hanc, si diis placet, hæreditatem acceptam referunt, unde affectum hunc omnium maximè hæreditarium morbum scribit *Ferne! l. 6. de part. morb. utut dubium non unum in contrarium Ioh. Christianus Lebringius* moveat *exerc. med. de calc. in humano corp. generato. f. 1. c. 6.* Hæreditariam ad *Χάυνασιν* dispositionem à parentibus, præcipuè genitore ramieoso, transfusam *Ioh. Rudolphus Ringelmannus diatr. Inaugur. de Enteroc. c. 4. §. 7.* arguit.

§. 5. Denique nec in extremis artubus hic tam efficax mali hæreditarii fomes deficit aut labascit. *Erysipelas cruris* ex hoc traduce venisse *C. Theophilus Berlinus advers. observ. 63.* vidit. Ipte, si meis etiam observationibus pretium aliquod ponendum est, novi in puella patrium malum



malum ita radicaturn , ut ad lubitum & nutum vel solâ forti imaginatio-  
 ne idem advocare potuerit. *Scabiem* à parentibus in liberos ire ali-  
 quando Autores non invidi largiuntur , præcipuè verò væ illis minatur  
*Ant. Molinetti in Anat.* , qui ortum ex parentibus *lue venereâ* infectis du-  
 xerunt ; erumpent, Autoris verbis, aut in infantia morbi , aut adolescen-  
 tem corripient , inhiantemque ad meliora pessundabunt. Pueros ita  
 pessundatos *Gr. Horstius l. 2. p. 2. observ. med. 11. Laz. Riverius commun.*  
*à Samuele Form. observ. 26.* afferunt. An vero æquè facile à patre ut à  
 matre tradux hic propagetur , scrupulus multos vexat , quo de remo-  
 vendo circa causas & propagationis modos mox videbo. De *spinæ*  
*ventositate hæreditaria Merclinus annot. in Pandelphin. ad c. 5.* consu-  
 latur. *Passiones juncturarum* omnes hæreditarias *Iohannes de Con-*  
*caregio* proclamat ; *podagrâ* plerosque infestari , quod parentes aut  
 avos podagricos habuerint *Pergamenus comment. in 6. aph. 28.* reliquit:  
 transfeminatâ ita *podagrâ Francisc. Barbarus* laboravit , quem , ut hæ-  
 reditatem hanc æquo animo ferat , *Franciscus Philelphus* consolatur  
*Epist. fol. 65.* fratres alios duos , qui triste hoc inter se patrimonium di-  
 viserunt, *Felix Platerus obs. l. 2.* memorat.

### THEOREMA III.

Tanta nonnunquam inter parentum ( pro-  
 totypum ) & ortum ( similem in liberos transve-  
 ctum ) morbum similitudo intercedit , ut hic  
 cum illo easdem partes , eandem ætatem , eun-  
 dem vitæ statum occupet, eundem progressum,  
 idem augmentum sumat , symptomatibus iis-  
 dem stipatus incedat, eodem sub ætatis termi-  
 no finiat.

§. I. Pro hoc theoremate stat *Willisus l. c. de anim. brutor. part. 2.*  
*Patholog. c. 14.* *Arthritici* , inquit , ut plurimum gignunt *arthriti-*  
*cos* ; atque morbus hic à parentibus in natos descendens in utrisque non  
 modo pares fructus & circa easdem ætatis periodos maturatos habere  
 solet



folet, sed plerumque in *iisdem* membris primas radices agit, & similes ubique progressus observat. Nec desunt aliorum observationes.

§. 2. *Arthritide* vagâ *scorbuticâ* laborantem *Hermannus Grube* novit, quâ parens eâdem *atate* sub parium symptomatum satellitio vexatus laboravit, l. c. c. 3. f. 1.

§. 3. Ortum eundem *vita statum* cum originante servare, quo præfente evigilat quasi, absente verò quiescit, singulari casu, ut communior est taceam, *Excell. Dn. D. Reifelius, Archiater Württembergicus* meritissimus, patronus meus summè venerandus, confirmat *Eph. N. C. ad annum 71: obs. 225.* maritum referens, qui uxoris, quoties gravida fuit, personam egit, pro hac vomuit & picâ laboravit. quod idem post filius maritus factus, ut pater, in gravidatâ uxore sive passus fuit, sive egit. Apud *P. Borellum* claudo à parente nati recti primùm ac benè conformati, eodem, quo pater anno claudicare cœpit, virio hæreditario expergefacto claudi & ipsi facti sint c. 1. *observ. rarior. medico phys. 7.*

§. 4. Eâdem cum parentibus *atate* lue hæreditariâ liberos extinguî, phthisicorum nonnullorum exemplis eâdem cum parentibus *atate* perentibus *H. Fracastorius l. 2. de morb. contag. c. 9.* corroborat.

## THEOREMA IV.

Quanta verò similitudo inter prototypum & ortum intercedit, tanta quoque nonnunquam dissimilitudo; ita ut ortus cum prototypo neque tempore infestationis, neque continuitate durationis, neque gravitate conveniat.

§. 1. Morbi parentum, qui in liberos transeunt iidem licet specie; in cæteris tamen illis exactè semper non respondent, nec eo, quo in parentibus cœpere, *atatis termino* incipiunt, & seminia sua exaltant, nec æqualiter finiuntur, sed modo anticipant, modo postponunt, jam primâ statim ætate, jam in proveciori demum expergefiunt; Novi, quem podagrici dolores miserè fatigabant: sopiebat illos quidem ad annum



usque trigessimum ; admissis autem causis procatarcticis, cum impetu eundem repetebant : natorum alius vigesimo septimo, alius decimo, contagium hæreditarium senserunt.

§. 2. Mutat etiam continuitatem seu durationem in posteris malum, quodque in parentibus erat interpolatum, intermissione ad menses, imo annos aliquot gaudens, in liberis fit continuum, ad mortem usque subinde comitans : nonnunquam versâ vice mitius hos ferit, imo penitus præterit, in nepotibus verò redivivum. Exempla si desideras, en ! egregium apud *H. Grube* loco sæpe citato *f. 2. c. 1.* Nota, scribit, mihi familia quædam est, in qua per intervalla tantum deliravit parens, filii verò ab hoc malo profus immunes tantis tamque egregiis fuere animi dotibus, tanto rerum usu & peritiâ illustres, ut munera gesserint cum applausu omnium insigniora : at continuum in nepotibus fuit longèque vehementius, quod in avo consuevit stans saltem temporum periodis redire delirium. Ipsi tamen annis tenerioribus, quod & ipsum meretur observari, & dociles adèd erant, & pro illa quidem ætate idonei, ut spem eximiam promitterent frugis olim proventuræ, in quibus annum vix vigesimum agentibus ita pedetentim perturbata mentis est sanitas, ut de statu ipsotandem dejecti continuo cœperint delirare.

§. 3. Nec sibi semper similes sunt gravitatis & sævitiei intuitu, qua longe majori sæviunt subinde semina in posteris, quam in parentibus, graviorum illos symptomatum tyrannide excruciant, subinde etiam alium genium faciemque terribiliorem induisse videntur : specimen sistit asserti familia quædam malo hypochondriaco nobilis, mihi que cognita; hæc ut late se disseminabat, ita malum hoc hæreditarium omnibus etiam transmittibat, sed gravioribus longe vestigiis in liberis quam in parentibus conspicuum. Ulcera enim tantum non corrosivam stillantia materiam in pedibus omnes alebant cum insigni tumore, à quibus immunis pater erat, matre subinde rara & levia in se vestigia notante : at in nepotibus contagium hoc parentale vires longè majores & imperium sibi non modo in corpus, sed & animam sumebat, triste delirium seu melancholicum cum maniz minis procurando aliis, aliis convulsionum motus gravissimos non sine magiæ suspitione excitando.



## THEOREMA V.

Nonnunquam transfunditur in omnes, nonnunquam in aliquos, sive in omnes, sive in aliquos, vel æqualiter vel inæqualiter, plerumque cum, nonnunquam sine intermissione.

§. 1. Ad eò communicativum sui hæreditarium hoc bonum scilicet est, ut omnibus ex iisdem natis parentibus hæreditas hæc quasi ab intestato, velint, nolint, ad eundem sit, tristi id experientiâ tantum non quotidianâ præter jam dicta adductaque exempla comprobante: Frequentius tamen non omnibus, sed uni aut alteri tantum cedit; cæteris exclusis. Inæqualis hujus distributionis exemplum iterum suppeditat *Grube l. 6. f. 2. c. 2.* in fœmina phthificæ exposita dispositioni, quæ tres quidem liberos in ipso morbi curriculo peperit, filiolarum autem natu minimæ hæreditariam labem hanc solum reliquit.

§. 2. Interdum idem quidem *πίασμα* in omnes transfunditur, non tamen eandem in omnibus, sed diversam partem etiam occupat, proque hujus conditione & receptivitate affligit: Ita relatum memini podagricum patrem, liberorum vero alterum podagrâ, alterum nephritide, tertium ischiaticâ correptum.

§. 3. Adsunt parentibus nonnunquam complicati morbi, quos simul & semel omnes in omnes & singulos liberos non distribuunt, sed velut divisis copiis, hic illum, ille item alium occupat: ex ore *Excellentiss. Domini Capelleri, Viri Theor. & Pract. Med. scientissimi, Physici Civitatis Vaybinganae meritissimi*, habeo, aluisse virum in arte pharmaceutica peritissimum ulcera & tumores in pedibus à juventute ad annum usque ætatis quinquagesimum, quæ post succedens podagra sustulit: at & hæc brevi evanescente, nephriticis doloribus illis longè immanioribus, (ut podagram priorem auream respectivè vocavit) correptus fuit, qui ipsi tamen reductâ podagrâ iterum evanere: Huic quot morbi, tot liberi erant, quibus singulis singularem etiam quasi locabat, natu majori podagram, minori ulcera, minimo calculum.



§. 4. Nonnunquam liberi de parentum labe plane nihil imbibisse videntur, nec actu in se eandem experiuntur, vitium nihilominus propagini insitum, quæque diu jam in se extincta parentum seminia credere, in suis liberis, parentum nepotibus, reviviscere vident; id quod de similaribus æquæ ac organicis morbis probatu haud difficile est. Consul erat hujus oppidi claudus, filius pedes sanus liberos de se genuit omnes claudos: simile quid *Borellus c. 1. obs. med. 7.* habet.

§. 5. Communius tamen non interruptâ serie malum à patre in filium serpit, ab hoc in nepotes, gliscuntque igniculi continui per multas generationes, quod ex *Fracastor. jam supra citat.* & quotidianis experimentis videre est.

## THEOREMA VI.

Formatio corporis humani, structura & figuratio adeò diversa s. & p. n. fit & dirigitur suis ideis.

§. 1. Mirabile hinc se naturæ mysterium pandit, quod in attentionem quemcunque meritò trahit, causa nimirum, quæ omnia adeò concinnè in superbam hanc fabricam consurgunt, modus, quò homo ad figuram hanc elegantissimam deducitur; in cujus inquisitione causæ in angiportum redacti *Autores*, alii DEUM ipsum ἀπὸ τῆς μηχανῆς advocarunt cum *Gu. Harvejo*, alii ad naturam seu formam specificam cum *Hippocrate & Philosopho* confugerunt, alii λόγον ποιητικὸν seu πλαστικὸν cum *Alberto Magno & Jacobo Schegkio*, utut in sensu non uno, requirunt, alii, (ut taceam *Scoti & Averrhois* vim cœlestem, *Avicenna* intelligentias, spiritum seu animam genericam per totum mundum diffusam *Platoniorum*) cum *Theophrasto Paracelso, Helmontio & Chymicorum* potissimis Archeum seu Archæum, qui omnia in corpore movere creditur, in subsidium trahunt. In modo verò explicando aqua omnibus hæret, ut hinc indè videre est. *Henricus Regius in phys. nat. l. 4. c. 14.* Gordii hujus nodi solutionem se omnium clarissimè invenisse putat, dum formationem fœtus perfici scribit calore cum uteritum seminum, quò horum particulæ in utero agitantur; hæ verò agi-

tata



tatæ ob suas figuras & magnitudines, quas in meatibus seminariis certo modo temperatis & figuratis sunt adeptæ, necessariò in utero in perfectum animalis generandi germen succo alimentari instructum & membranulis vestitum, semina stirpium aliquo modo referens, abeunt; hancque subjungit formationis fœtus explicationem ad eò manifestam esse, ut jam nulla ampliùs necessitas cogat, ullam animam alteriusque facultatis ideam, phantasmam, Archeum formationis Autorem in utero vel semine effingere. Sed quam longè & hic, qui primâ fronte Apollinis oraculum promittere videtur, aberraret, obscurum per æquè obscurum explicando, *Isbrandus de Diemerbroeck anat. corp. hum. l. 1. c. 28.* ad satiem ostendit.

§. 2. Cæterùm, si quid in re obscurâ divinandum, ut me breviter absolvam, piè quidem & theologicè, adeoque verissimè hîc nonnulli primam & universalissimam omnium rerum causam agnoscunt Deum Ter. Opt. Max. in quo sumus, movemur & vivimus; sed esse tamen in rebus naturalibus cujuscuque in suo genere determinati effectus determinatam causam, nemo non novit, quam & in præsentî negotio meritò desidero. Formam specificam seu naturam actionum omnium in corpore, & consequenter etiam partium formationis causam esse, facile largior; quippe quæ dat rei esse, operari & distingui: verùm nec hæc immediatè ad effectus productionem & speciatim partium corporis nostri conformationem accedit, sed certis & idoneis instrumentis utitur, idcirco *Recentioribus* dictis, quasi typis, quibus ducitur, determinatur in actione, ex quarum directione tanquam in speculo, quid agendum cognoscit, cognitumque sine confusione expedit; his mediantibus dirigitur, ut hominem homini formet similem, ut in specie filius patri, filia matri &c. respondeat in lineamentis, ut valgus valgum, blæsus blæsum generet, vide *Dn. Ettmüllerum dissert. de mors. viper. punct. 5. §. 3.*

§. 3. Hærent hæc ideæ in semine, & præcipuè parte ejus spirituosâ, quæ facit, ut fœcunda sint semina 2. *de generat. animal. 3.* (voces calidum cum *Philosopho*, spiritum vivificantem, architectonicum, vim plasticam, temperamentum innatum, animam materialem, vegetativam, Archeum seminale cum *aliis Autoribus*, aut quocunque libet nominæ, perinde est, modò in re nobiscum convenias) ab omnibus



& singulis corporis partibus communicatæ. Imò sunt ipsi spiritus seminales certo modo à partibus modificati & quasi figurati : Utc enim ab omnibus corporibus visibilibus radii infiniti subtilissimi exeunt exprimentes figuram & colorem externum illorum corporum , è quibus emanarunt ; ita è singulis corporis partibus corpuscula quædam subtilissima instar atomorum spirituosissimarum exeuntia dicto spiritui immiscentur , qui talem partis , unde effluxere , impressionem accipit , non solius figuræ , sed totius naturæ , ut in aptum subjectum , cui inhaeret , incidens simile producere & formare valeat illi , à quo impressas notas & proprietates accepit ; hinc in sano statu , quatenus naturaliter sive ordinariè (sit venia termino) ideatus est , agit rectè & formationes naturales promovet ; præposteris verò sive præternaturalibus ideis instructus , in constitutione morbosâ , operationes degeneres & vitiosas relinquit, consule pluribus *Isbr. Diemerbrock. l. 6. c. 27.*

## THEOREMA VII.

Semen aptum est ideas omnium partium benè & malè dispositarum imbibere, seu specifico quarumlibet illarum caractere insigniri.

§. 1. Utrumque ex præcedentibus constat : quò enim modò partium sive bona , sive mala à parentibus in liberos dispositio traduci aut propagari potest , nisi mediante semine ? quò autem semen modò talia propagat , nisi in se ideas singularum sive benè sive malè dispositarum partium imbibitas & quasi insculptas habeat ? De modò autem quò fiat, quæstio ab omni tempore intricatissima fuit. Facilè & felicissimè extricare hîc se possunt , qui ex *Hipp. de morb. sacr.* cum pluribus semen à toto & singulis generantis partibus deciduum , & ita omnium & singularum partium naturam redolens præsupponunt , quod tamen præsuppositum cum meritò in dubium vocent cordatiores *Philosophi & Medici, Arist. l. de generat. animal. 8. 17. 18. 1. Fernelius 3. phys. 2. Andreas Laurentius l. 8. Anat. 4. Albertus Kyperus anthropol. c. 18. §. 11. seqq.* qui solidè refutat, vix apparet satis, quâ ratione semen ab ipsis partibus , unde nihil organis seminificis pro seminis generatione transmittitur,



titur, morbosum nihilominus characterem suscipiat, & in foetum transfundat. Ego quidem, ne quid dissimilem, Davus sum non Oedipus, nec mihi tantas lites inter tot tantosque Autores componere praesumo. Interim tamen, beneficio sanguinis circulantis, plurimorum in pathologia aenigmatum & dubiorum ante hac obviorum solutionem hodie feliciter praestantis, lucem etiam multam affundi transplantationi morborum & affectuum p. n. per principia seminalia posse persuasissimus sum. Praesuppono autem sepositis aliorum secus sentientium opinionibus, qui vel liquorem nutritium nervinum cum *Fr. Glissonio in Anat. Hepat. Th. Warthono de glandul. Gu. Charletone in Oecon. animal.* vel lymphaticum cum *Clemente Nyloe de ferm. & nutrit.* aut serosum cum *Hier. Barbato de sanguine & sero*, & aliis substituunt. Sanguinem feminis materiam esse, pro cujus defensione sententiae *Diemerbroeckius* sufficientes rationes excogitavit l. c. Hic ergo cum perpetuo motu per omnes & singulas corporis partes maximas & minimas, summas & imas, pro nutritione & refocillatione, eat, sine dubio facile etiam characterem singularem, sigillationem & impressionem quamcunque imbibit, hisque impraegnatus dum in organa seminifica ceu materia constituendi feminis refluit, topicarum hujas & illius membri affectionum sigilla semini relinquit; forte & stagnantes etiam sordes morbosas a vitiosis partibus productas reperit, iis se commiscet, easdemque, ut subinde ad alias partes, ita privatim ad organa seminifica ducit, ex qua morbosam materiam morbosum necesse est generari semen & ex hoc consimilem foetum. Sanguinem ita ad labem quamcunque imbibendam facilem esse, nemo me iudice erit, qui inficiatur.

§. 2. Quod & quale aer, magnus ille secundum *Comin* in valetudinem nostram Monarcha, imperium sibi in sanguine mutando sumat exerceatque, sollicitus hinc non ero, veniente praesertim in probationem ipsa experientia, pluribusque hinc imminentes injurias *Rolsincio method. med. spec. comment. ως εν γρη l. 2. f. 3. c. 38. seqq.* enumerante; nec de cibo & potu eadem patrantibus multum laborabo, loco dicto c. 55. seqq. sufficienter itidem explicatis. Memoratu vero dignum est, quod non simplici vice ab *Excellentissimo Domino Praeside, Praeceptore meo fidelissimo, aviternum summe colendo*, audivi exemplum, forte nec visum, nec auditum antehac *Augustae Vindelicorum* olim notatum



pro afferenda temperamenti & sanguinis per res n. n. alteratione certè egregium, quod hoc est: Vir juvenis curis & negotiis publicis concatenatis implicitus tantam sibi sanguinis & spirituum intemperiem contraxerat, ut naturalis temperiei defectu tantum non omnis ut accretionis ita nutritionis corporis spe exciderit, instar cornu pellucens; Mutato post hunc vitæ statu, depositisque curis & laboribus illis, sub aquæ præsertim potu, eam sanguini temperiem reddidit, ut jam quinquagenarius felici non modo nutritione, sed & auctione corporis secundum omnes dimensiones sensibili sub trium septimanarum spatio gavisus fuerit: tantum victus & animi pathemata cum rebus n. n. cæteris faciunt valentque. Sed propius ad asserti mei testimonium accedit, quod in extrema non raro corporis parte ulcus, gangræna, aut sphacelus hærens, totum mox sanguinem inficiat, corrumpat, atrophiam, mortem inducat, miasmate procul dubio & labe in eum transfusus & receptis.

§. 3. Sed duo hinc, antequam abeam, removenda dubia noto. 1. An sanguis subito transiens & solum lambens quasi partes statim imbibere singularum ideas possit? non dubito. Si enim sub hoc motu imbibere sanguinem partes possunt & nutrirî, quod egregiè *Job. Waleus epist. alt. de motu sanguinis sub fine* probat: cur non vice versâ sanguis miasma inde aliquod imbibere possit? Nec eò statim momentò quò impellitur, iterum expellitur omnis: ut aquæ venas metallicas lambenti imprimuntur facilè qualitates in transitu peregrinæ; ita pari facilitate per corporis partes currenti idem accidere vero per quam simile videtur.

§. 4. (2.) Quæ autem fit, quod manci mutilique parentes integros sæpius liberos generent, iis præditos membris, quibus parentes ipsi destituuntur, nec consequenter ideâ à partibus deficientibus inspiratâ, nec sigillatione sanguinis aut spiritus seminalis factâ? respondet *Gr. Horstius de caus. similitudinis & dissimilitud. fœtus*: mutilos tales parentes esse quidem quoad externas operationes, non quoad potentiam internam, ut vi principalium partium idea totius & per consequens etiam earum partium, quibus mutilati parentes sunt, in gradu perfectiori seminali principio generationis communicetur. Plurimum ego imaginationi hinc tribuo parentum cum *Diemerbroekio l. c.* quæ defectum istum idearum à partibus deficientibus denegatarum supplet: hi enim



cum continuò oculis & animo obversantes habeant alios omnibus membris numerisque perfectè conformatos, si nilesque per fortem imaginationem etiam sibi polliceantur, deficientium partium ideas sanguini & spiritui seminali non minus imprimunt, quàm si ex partibus ipsis præsentibus modificatio ista processisset: vim hanc & efficaciam phantasiæ in foetu præsertim formando & de formando experientia quotidiana asserit, de quæ agendi modo elegantissimè *Dighæus de sympath. Ioh. Marcus Marci in Philosoph. Vet. restit. Gr. Horstius l. c.* discurrunt.

## THEOREMA VIII.

Ideæ ad modum dictum seminalibus principiis infixæ facilè variis omnium ventrium & artuum partibus sese insinuant, & affectus p. n. parentibus antè domesticos cudunt

§. 1. De re ipsa nemo dubitet, cum oculis & sensibus pateat: causas igitur in specie superius recensitorum affectuum p. n. cum parentum simili labe infectorum semine in sobolem transfusorum plenius nunc videbo, vestigia jam trita secuturus.

§. 2. Esse autem innatam & hæreditariam dispositionem, propter quam unus præ altero aptior sit, ut caput impleatur & doleat, *Pergamenus* ipse confitetur 3. de loc. affect. 9. quam vel in intemperie originali vel mala partis conformatione consistere puto; illam serosior & acrior sanguis, frequentior *cephalalgia* causa, miasmata à parentibus suggesto, suppeditare potest, quo sensiles capitis partes diversimodè molestantur, acedine salium acutorum punguntur & continui solutionem patiuntur: si enim pituitosus pituitosum, biliosus biliosum secundum *Hipp. de morb. sacr.* generat; cur non serosi, acriori sanguine præditi sui similem? Servat utique sanguis naturam suam primogeniam & pristinus novum in sui consortium rapit & disponit, quemadmodum insitionis surculi aut gemmæ arborei trunci succum sibi planè vendicant ex *Maur. Hofmanni prud. Med. ex sangu. disp. 8.* Mala partium



conformatio hæreditaria auxiliatrices manus porrigit: Ut ex macrocephalis macrocephali gignebantur ex *l. de aër. loc. & aq.* pari facilitate alia vitiosa capitis conformatio in prolem derivatur: absolvi quæ præfens hæc videtur, si pori capitis partium à natura justò minores contingunt, ut eâ, quæ debent, facilitate sanguis & admisti humores non transeant, unde oneratae partes & variè afflictæ dolent, & fortè cæteris corporis partibus frequentius, quod alterò etiam felicioris propulsione auxiliò, quò cæteræ ferè omnes gaudent, musculis destituantur. Qui cum *Galeno 9. de usu part. 1.* & *Reald. Columbo de re Anat.* in futurarum defectu causam quærunt, fallaciam non causæ, ut causæ, in Arte frequentissimam, committunt, quam pensiculator examinavit & explisit *Schneiderus l. 2. de catarrh. f. 2. c. 6.*

§. 3. Vertiginis causam cum *Harvejano* contagio seminali per hæreditariam & cerebri peculiarem debilitatem transferri in filium *Rolsinccius* credit *l. c.* unde retentrix facultas spiritus in sua thesi retinere nequeat, iidemque ob leves causas vitiosè moveantur. *Sebastianus Wirdigius* ipsam spirituum constitutionem p. n. & morbosam ex parentum constitutione simili in jus vocat *l. 2. medic. spir. c. 8. §. 2.* Non malè *Th. Willisus* cerebri nimis laxi & dissoluti habitudinem innatam & originalem suspicatur, unde poris & meatibus debitò a partioribus & nimis dehiscensibus particulæ sanguinis heterogeneæ &, ex hypothese, elasticæ, simulque recrementa serosa & morbida in caput suffusa in cerebri medullium sine obice decumbunt, spiritibus sese immiscent & hos in motus vertiginosos enormes agunt *l. 2. de anim. brut. p. 2. c. 7.*

§. 4. De Apoplexia hæreditaria quod dubitet *Crato l. 6.* causæ factis non affert: nec enim si cum semine traducitur, intemperie necessariò morbus statuenda venit; traducuntur etiam morbi conformationis; nec hæreditarius omnis morbus, dum se propagat, actu fit, necesse habet: duobus enim propagatio talis modis fit, vel quoad actum vel dispositionem s. apparatus ad morbum ex *Alberto Kypero instit. Medic. l. 2. cap. 12.* clarius *Ludovicus Mercatus* idem admonet, habitum, scribens, hæreditarium esse in duplici differentia: unum actu morbosum lædentemque proprias individui generantis & generati actiones, ut videre est in manco vel actu podagrico, ophthalmico &c. filium generante mancum, podagricum; reliquum verò p. n. quoque morbosum, cæterum non habentem læsas actiones actu, natura



turam tamen ipsas lædere : exemplo est pater insalubri apparatu ad podagram vel ad quemcunque alium morbum affectus , non tamen podagrâ actu laborans , qui profectò generabit liberos eòdem apparatu affectos , quos etiam affectio eadem actu vexabit , quâvis causâ accedente. *l. de hered. morb.* Quid ergò obstat , ita apoplecticam in se dispositionem circumferentem , dum generat , eandem etiam in filium disseminare , animâ juxta ideam semini impressam cerebrum formante & disponente. Dispositio hæc probabiliter ex judicio Experientissimi *Dn. Wepferi* in pororum illorum , qui ex arteriolarum capillamentis in medullasam cerebri substantiam hiant , spiritibusque vitalibus transitum largiuntur , hæreditariâ angustia & coarctatione hæret , unde non suppeditatâ materiâ sufficiente animalium spirituum generatio & reparatio , simulque influxus debitus impeditur *exerc. de loc. aff. in apopl.*

§. 5. Quò epilepticum malum modò hæreditarium onus fiat , dictu explicatuque , ut affectus ipse , perquam difficile est. Qui *μιάσμα* epilepticum cum recentioribus nonnullis peculiari fermento comparant , ut revera de fermenti natura participare videtur , certo loco aut parti corporis impacto , facilè ex hac difficultate , in subsidium vocato circulari sanguinis motu , extricare se possunt : cum enim sanguis per singulas partes fluat refluatque , non mirandum , si in transitu hujus vel illius partis pravâ *Διάθεσις* afficiatur , *νοσώδεις Διακρίσεις* auferat , iisdemque semen collutulet ; idea impressa post se in apta & conveniente parte cerebro , certò , fermentorum in morem , tempore , exprimit & quasi depingit : ita è renibus & vesica epilepsiam hæreditariam ortam *Th. Bartholinus c. 5. dist. Anat. 61.* descripsit.

§. 6. *Melancholia & mania* semina à parentibus in liberos eunt , labe per sanguinem infusa spiritibus animalibus , indoleque horum propriâ & naturali corruptâ : in melancholia , qui ærei , lucidi , subtiles , temperati , puri desiderantur spiritus , ut illustrent cerebrum & objecta pura repræsentent , fuliginosi , turbidi , impuri , crassi , frigidi , emanationi liberiori impares fiunt , qui compagem cerebri potius obscurant , hujus temperiem alterant , rerum imagines , velut nubibus aut tenebris obductas , offerunt ; & secundùm *Galenum 3. de loc. aff. 6.* ut tenebræ externæ omnibus præsertim meticulosi timorem incutiunt , hæc si mentis sedem occupaverint , timorem atque mororem afficiunt



deturpatis phantasiæ idolis. Contra, ut fumô & densâ caligine in melancholia obfuscantur cerebrum & spiritus animales, ita mania istis apertum quasi incendium accersere videtur ex mente *Willisii*, spiritibus calidissimis & tantum non igneis redditis. Chymici spirituum indolem naturalem ibi in acetosam naturam degenerare, hîc in nitro sulphuream docent, utque melancholia in maniam abeat, sulphuris solum accessu in acorem degenerantibus spiritibus *Willisius* opus esse statuit. *Felix tamen Platerus* *Γέρον* quid subesse suspicatur t. 1. *prax.* c. 3. Quid de glandula pineali in hæreditariæ melancholiæ & manix causis enodandis non nemo *Recentiorum* *disputatione de hujus nat. & præternat. statu*, ex *Cartesii*, *Regij de la Forge* & similium mente promittat, videre est in *l. cit.* Ego cum *Diemerbroccio* ingenuè fateor, quod ejusmodi subtilitates ipsâ subtilitate subtiliores longè captum meum superent, *Anat.* l. 3. c. 6.

§. 7. Idem spiritus vapidi quasi & effœri toti spirituosiss, salinis & sulphureis partibus sub frigidis, aquosis, terrestribus immeris & obrutis, *stoliditatem* per familiam propagati hæreditariam minantur, eoque certius, si capitis & consequenter cerebri textura male ad parentum typum formata, poris gyrisque debitis non instructa, mole justô minore vel majore prædita, ineptâ figurâ deformata conspirent, quæ singula necessariam spirituum emanationem, decentem per cerebrum dispensationem impediendo, labem animalis functionis post se notabilem trahunt: conformationem capitis in magnitudine vitiosam *Platerus* hîc nomine arguit t. 1. *pr.* c. 3. cerebrum mole per exiguum *Willisius* in fatua à nativitate reperit *neurolog* c. 26. Ut specula distorta, ita cerebra malè figurata rerum species non rectè colligunt nec animæ rationali verè obijciunt. *id.* *Willis.* *de anim. brut.* l. 2. c. 13. parique ratione parentale *memoria* vitium in sobolem transvehi crediderim.

§. 8. In *somnambulatione* *Willisius* iterum certam & peculiarem cerebri ejusque appendicis dispositionem & conformationem desiderat, quibusdam à nativitate & parentibus propriam, ubi spiritus animales non unâ omnes succumbunt & quiescunt, sed efferi & irrequieti nonnulli, cæteris feriantibus, *ρόσην* sumunt magis exterius, versus partes motrices, ad originem nervosam potius, quàm in cerebrum & ejus medullium, poris & meatibus in globosa cerebri compage infartis, & spiritibus hîc, quasi lymphâ gelu constricta, consistentibus; inter-



vim intra medullares cerebri & medullæ oblongatæ processus, qui ver-  
sus originem nervosam ducunt, substantia laxior & humore adventitiõ  
minus occupata est, ut ibidem spiritus in motum prompti se facillè exe-  
rant & nervorum capitella subeuntes, motus locales, quorum sensus  
communis & superiores animæ facultates prorsus ignoræ sunt, produ-  
cant. *l. c. l. 1. c. 16.*

§. 9. Hæreditariæ ad *strumas* dispositionis causam *Platerus* in fe-  
mine & facultate formatrice in utero quærit *t. 3. prax. c. 3.* Peculiarem  
*I. Riolanus* cum *Guidone & Ingrassia* mesenterii conformationem, ubi  
harum sedem & radicem ponit, suspectam facit *enchir. Anat. l. 2. c. 19.*  
cui tamen contrarius *Thom. Bartholinus* est *anat. reform. l. 1. c. 20.* alij  
à sanguine aut rectius succo nutritio foetus & ideis generantis depen-  
dere volunt.

§. 10. *Oculorum vitia* an hæreditariâ labe inficiant, dubitant mul-  
ti, & quicquid hîc fit, injuriâ vel incuriâ externâ vel imaginatione ma-  
ternâ fieri tam conceptionis, quàm gestationis tempore credunt. Ve-  
rùm ut foetus à parentibus aliorum secum morborum sigilla sæpe sæ-  
pius adferunt, sic utique, humoribus etiam hæreditariâ impressio fieri  
potest, propter quam *catarracta oculis accidit*, quam in primâ aliquan-  
do ætate oriri nihil novi alit, ut in textoris filio nonimestri *Bovellus*  
observavit *c. 3. obs. Med. 61.* *Gutta serena* juxta *Iob. Veslingium* hære-  
ditaria contingit, dum impeditur spiritus animalis influxu per nervi optici  
obstructionem oculi humores temperamenti deliquium incurrunt, cu-  
jus semen mediante sanguine non potest non particeps fieri. *observ. &*  
*epist. 67.* *Hier. Mercurialis* variis offensi visus in parentibus causis accusa-  
tis, filios iisdem post vitia infici non miratur; sic enim scribit *Hippocra-  
tes l. de aere, aquis & locis* macrocephalos princip: arte & vitiõ ita fuisse  
conformatos, deinde hujusmodi vitia fuisse propagata, ut integræ na-  
tiones visæ fuerint macrocephalæ. *l. 1. prax. c. 28.* Naturalem muscu-  
lorum palpebrarum debilitatem *palpebrarum instabilitas* prodit.

§. 11. In *linguæ vitis* s; quid hæreditarii quærendum, malæ confor-  
mationi ab ideis parentalibus præscriptæ potissimùm acceptum refero.  
Linguæ brevitem *Galenus*, sed ex propria confessione, ut causam ra-  
rissimam, inculat *Comm. 6. aph. 32.* Merentur nonnunquam cul-  
pam fibræ carnez musculorum relaxatæ ob præsentiam humidi copio-  
sioris ad os, non à cerebro, ut communis fert opinio ex *comm. jam*



cit. cui contradicunt *Sanctorius in meth. vitandi. error. l. 3. cap. 4.* *Schneiderus l. spec. catarrh. de catarrh. stomach. led à sanguinis oceano per vasa salivalia sub laboriosa linguæ motuatione strictius compressa confluentis.*

§. 12. *Phthisicam labem* proseminari hæreditariè qui inficiantur, sensibus & experientia obloquuntur, proindeque rectè veritatem vel odisse vel eidem protervè contradicere *Eccardo Leichnero disp. de phth. creduntur*: Cuius ipse *Φθισώδεις καὶ πνευρωώδεις* tales agnoscit 3. *Epid. Comm. 3. t. 70.* tabidos à tabidis fieri profitetur *de aër. loc. & aq. nec propagationis modus dictu difficilis est*: de facili enim ut temperamenti sui characterem parentes, ita quoque in phthisin dispositionem, si-ve pulmonum debilitatem, si-ve sanguinis acrimoniam & conditiones plures spectes, vi seminis, posteris communicant: imò eò ipsò, hæmoptoës radices pariter ponunt, duos quasi parietes unâ fidelità dealbantes secundùm tritum.

§. 13. Eadem innata pulmonum imbecillitas *pleuritiden* nonnullis familiarem facere potis est, dum sanguini effero cum impetu ruenti fenestram aperit, hospitium præparat stagnanti & lentiscenti turgescentiæ & incendiis ansam conciliat; ita dispositi annuâ fere pleuritide corripuntur, nec nisi dispositione hæc cum seminalibus principiis foetui impressâ, mater hæreditariâ eundem labe in pleuritidem proclivem gignit.

§. 14. Ad *Asthma* hæreditaria propensio & gentilitium jus seminali contagiò quasi per odorem materno sanguini communicata facit secundùm *Rosfinccium consil. med. l. 5. cons. 8.* Pulmonum laxitatem quandam & debilitatem ad recipiendos aliunde adfluentes humores vel hos cumulandos *Sennertus l. 2. pr. p. 3. c. 2.* arguit *P. Forestus* in angusta thoracis structura causam quærit, *l. 16. observ. med. 9.* Ob insignem pulmonum molem & totifamiliæ malum hoc *συγγενές* *Theophilus Bonellus ex Fr. Sylvio in Anat. præct. l. 2. f. 1. observ. 57.* notavit.

§. 15. *Febrile foetui infundi fermentum* principiis parentum seminalibus ante per spiritus ideigeros impressum, nutrimentum à matre calore febrili accensum foetum pariter disponere & characterem eòdem insignire, ex dictis vero perquam simile est: qualis materia spermatica parentum, talis nutritio foetus & valetudo expectanda ex *Maur. Hofmanni prud. Med. disp. 5.* *Διάθεσιν* talem matri adfuisse necesse est, unde infantes ac pueri citra ullum vitæ errorem febrem quarta-



nam ipsò ortu contraxerunt apud *ioh. Fernelium l. 4. parhol. febr. 6. 14.*

§. 16. *Nausea hereditaria & fastidij ciborum indelebilis indignationis animæ character fermento ventriculi impressus autor est Mauritio Hofmanno instit. Anat. disput. 9. pari que jure per fermenti hujus vitiosam & peculiarem, quam subesse necessariò credo, constitutionem, picam, si eadem mater conceptionis tempore laboret, transfundi posse, faciliè largior. Ut enim rectè hoc constitutò, quæ bona sunt appetimus & quibus nutrimur; cur non contrà colligere liceat, eòdem vitiosò & peculiariter corruptò, contraria appeti & quæ p. nos sunt? In quo verò singularis ista & determinata consistat constitutio, quò appetitum modò determinet, ut hoc, non illud appetat, ex profundo Democratis puteo hauriendum est, nec hujus li. indagare. Idem interim ejusmodi fermentum hoc in utero imprægnari posse, vel ex eo constat, quod in primo ortu cum primis staminibus ventriculo potissimam partem congeneretur, inde fiat, unde reliqua omnia. vide Helmontium l. quod imago fermenti impregnet massam semine, nec non Excell. Dn. Præs. hist. Anat. ventric. tb. 23. Alio ventriculi & coctionis vitia experiuntur alii, aliis characteribus vitiosis archeo ventriculi à genitoribus inustis. Cæterum de pica illa an miranda an ridenda potius secundam Autorem ipsum theor. 3. §. 3. cit. quàm maritus pro uxore laboravit, malò etiam quasi hæreditariè in filium maritum transportato, evolvatur Herm. Grube l. sæpè cit. de morb. trans plant. c. 2. f. 20.*

§. 17. *Hypochondriacos, scorbuticos, spleneticos vulgò dictos, sanguinis sui duænegatæ & cæteros viscerum apparatus quoscunque necessarios in sui propagationem mali in fœtum promptissimè transplantare, experientia quotidiana proh dolor! fidem facit; cum naturali partium idea simul vitiosum sanguini imprimitur sigillum, & ex vitiosis generationis principiis extractæ partes non possunt non redolere principiorum suorum qualitates & quò semel imbutæ sunt, odorem diu & tenaciter servare; prolixiora videlicet apud Gregor. Horstium de scorb. sect. 1. §. 12. Nec monstri quid alit morbificæ hujus dispositionis seminium delitescere aliquamdiu in natis, demum que in nepotibus reerudescere & in actum deduci, & ceteris aliis necessariis fascitabulis antè desideratis, de quibus mox plura.*



§. 18. Tympanitidis hæreditarium fomitem aliquando adesse, Hippocrates 2. prorrh. testis est. Nimirum ut tinctura vitiosa semini immista in generatione in temperamentum & totius corporis oeconomiam invertendam jus sibi & potestatem sumit, ita huic etiam malo suppetias ferre novit.

§. 19. Calculosam parentum dispositionem in liberos derivari generarique à calculosis calculosos, nisi radix & principium illud *υοοσπιου* cum semine in sobolem transponendum certis de causis præpediatur, quarum quatuor numerat Petrus Severinus *id. Med. c. 2.* nemo rerum quotidianarum gnarus abnuet, nec probatione indiget, ipsâ suffragante experienciâ; ut eo magis mirari subeat, doct. sibi num *Mercurialem* hæc in dubium vocasse, & præter Fernelii auctoritatem alios idem asserentes ubique obvios, præsertim apud Schenckium in *obs. Med. collectos, desideret. l. 3. prax. de affect. in sim. ventr. c. 29.* Notabile exemplum *Helmontij* locò omnium esse potest. *tr. Tartar. non in potus* §. 10. pueri parente utroque incolumi editi, qui fratres præ se quatuor, sorores tres sanas habebat; solò autem hic trimestri à calculosa nutrice alitus, ter lithotomi operam experiri necesse habuit: si hoc per cibum metuendum, quantò magis per semina, hominis archetypum, introduci nephriticam dispositionem verosimile est, dum parens unus aut alter semen hujus contagii ferax confert & *Διέθεισι* lithiasi aptam communicat, quâ absente nec renum nimia angustia, debilitas, siccitas, nec peculiaris *Fernelij* *Διέθεισι* sufficiunt. Nec dubiū relinquunt *Iehringij* rationes supra citatæ, quas inter potissima; quomodo solum; & tantillum *Harveji* contagium à viro suggestum sanguini, ut loquitur, materno, vel utero ipsi calculosum vitium inspirare possit? Si enim sufficit hoc quodcunq; à patre suppeditatum naturale contagium ad ideam partibus naturalem imprimendam, ad mores paternos aliaque insculpenda, quæ non sufficiet etiam p. n. dispositum ad vitia pariter inscribenda & relinquenda: optimè ad præsens iterum *Helmontius* *tr. inventio tartari in morbis temeraria* §. 20. morbos, dicens, nunquam permistos esse semini materialiter, per modum tartari, nec tartarum vel cretam podagricam, &c. in semine præstitisse, sed morbos à parenibus latere characteraliter in &c. quo de in discursu plenius. Contagium hoc instar fermenti in mole minima etiam



Activi, suam ludere tragœdiam solet, eoque efficacius, quod secundum *Recentiores* potissimum in acido & salino hæreat. Singularem *Antonius Molinetti* causam à venarum lactearum dispositione petit, cujus verba audiri merentur: sunt, inquit, proni in calculum, quorum sanguis plures particulas tartareas alit, quod accidere illis puto, quorum intestina majoribus lactearum osculis patent, per quæ non modò purissimus chylus, sed & terrestres particule tartareæquæ permixtæ transfluunt, unde in sanguinem & renes eunt, hæc subsistunt, novis continuè affluentibus augmentur, nisi per ureteres tempestivè excernantur: hos si laxiores accepere liberi à parentibus, ad calculos hæreditarios disponuntur in *Anat.* Alii pororum in renibus angustiam à parentibus propagatam contenti sunt, quibus dum se accommodare nullò modò possunt salium crassiores omnis figuræ disproportionatæ particule cum sanguine ad renes delatæ, in iis hærent, & concrescunt, eò, quò videmus, modò salis particulas cum aquis in montium cavitates delatas ibidem hære & concrecere, aquas verò ulterius ascendere & hinc salis foudinas oriri. Vide *Johann. van der Laër disp. de ren. & vesic. calcul.*

§. 20. *Herniosum* patrem filium pariter suum disponere *Autor. supra cit.* aliquot munitis exemplis asseruit, nec rationibus destitutus est, quarum præcipuam hanc subministrat: reverà, scribit, semen masculinum rationem efficientis in generatione hominis habet, & in generabili suo naturæ spiritu, istius subjecti, unde manavit, ideam quandam continet, quam deinde sanguini materno, quem statim, ac in uterum receptum est, attraxit, & solus materia generationis est, (nisi impediatur aut corrigatur) imprimit. Nec aliorum deficiunt observationes: *Valescus de Taranta l. 26. c. 8.* herniosos ex similibus parentibus in tertiam generationem vidit, quod idem *H. Fabricius Hildanus* suo calamò & experienciâ subscribit & attestatur de integrâ pro-sapia ut plurimum herniis obnoxia, ne quidem sequiori sexu exceptò. Multum huc temperamentum humidum partesque corporis molles & teneras contribuere fortè non incongruè suspicor, ut in pueris mollities talis & teneritas, in senibus humiditas facilem intestinis & omento descensum suadent aut prolapsum.

§. 21. *Erysipelas* suam hinc promptè originem sumit, labe inquamante cum parentum sanguine & temperamento conveniente per con-



ragium feminine transportatâ. *Sennertus* temperaturam hepatis calidioram & aliquô modô humidam à parentibus in liberos transeuntem non rarò malum hoc in liberis fabricare credit *l. 2. de febr. c. 16.* in re consentio, quâ partem dissentio; sanguinis enim veriùs quàm hepatis hoc *μίασμα* est, cui suum etiam calorem hepar debet. Vide *Schneiderum de catarrh. Conyngium de cal. innat. Dn. Præsidentem extispic. hepat. §. 7.*

§. 22. *Scabiei* femina spargunt liberorum in sanguinem parentes, dum crudum ad generationem sanguinem, salinis acibus & harum similibus imprægnatum scoriis ipsi sæpe scabie affecti conferunt; *κακὴ κορυκὸς κακὸν ὄν*: præcipuè verò foetidissima illa sive Hispanica sive Indica scabies, *Lues Venerea* vulgò dicta, votò frequentius virulentum suum contagium ita multiplicat. An à matre magis, an patre fiat, lis inter *Doctores* gliscit; sunt, qui de matre dubitant, quod secundùm plures semen foecundum non conferat, nec sanguine suo foetum in utero alat; sunt, qui patrem absolvunt, quod tantillum, quod contribuit, contagium spirituosum, reliquò seminis ὄγκω iterum effluente, non sufficiat. Sed salva, me iudice, ex utraque parte res est: suum enim semen mulieri denegare, contra sensum & sanam rationem dicitur, proquè hujus causa *Diemerbroccius* strenuè militat *l. 6. l. 1. c. 27.* & ut ut sanguine suo mater immediatè foetum in utero non nutriat, succum tamen nutritium alium, quicumque sit, suppeditare necesse habet, quo cum labem hanc sanguini & toti corpori præsentem de facili commiscet & diffundit. Nec gravius de patre dubium superest, cum mole non agat, sed virtute & spiritu contagium hoc, quò sanò, si sufficit ut uterum foecundet pater, eòdem p. n. dispositò ut foetum inficiat & fermentaceâ malignitate contamine, sufficiat: Tantillum rancidi hujus fermenti venerei per mutua oscula, communia pocula, transplantatum, succum & sanguinem consumere novit; tantillum contagii pestilentialis aëre haustum, salivâ deglutitum, vitâ hominem subitò exuit; de similibus idem iudicium: utriusquè infectionis exempla obvia sunt.

§. 23. Porro cum nonnunquam *μίασμα* luis venereæ *spina ventosa* ansam præbere consueverit ex *Georg. Abrahamo Merclino annot. in Joseph. Pandolphinum de hac c. 4.* & hinc contagium feminine subolfactu difficile non est, eoque magis, quod *M. Aurelius Severinus* causam ex pri-



primis spermatis & menstrui sanguinis, secundum vulgarem, inquinamenti non repurgatis, accersat, *pædarthrac. c. 14.* Virulentum hunc humorem, acrem, salinum, aut quibuscunque aliis hinc inde nominibus veniat, quæ videri collecta possunt apud *Merclinum in annot. jam cit. in c. 3.* eadem foetus cum cæteris sordibus facilitate imbibit.

§. 24. Cum spermate (sæpe hæreditariò, podagricò, tincturâ salinâ arthriticâ) commaculato secundum *Ioh. de Concoregio*, ex parentum culpâ inquinato juxta *Bernardum de Gordonio*, transmigrare in sobolem podagram, & arthritidis speciem omnem traduci, luce meridianâ clarius est; de quo traduce verissimè, falsò licet sty'ò, *Iohannes Balde in solat. podagric. part. 1. §. 1.* lectu ideò dignus judicavit. Ego rivum claudo, ex superioribus, priusquam finiam, nonnulla tamen sub examinis incidem breviter vocaturus:

§. 24. Cur nimirum malum hæreditarium nunc citiùs, nunc tardiùs in actum erumpat, nunc planè non? cur non sub ætate eadem, eodem vitæ statu, eundem progressum sumat, partes interdum mutet, iisdem ubique symptomatibus non incedat, nunc graviùs nunc leviùs affligat, citiùs aut breviùs terminet, nunc in omnes nunc in aliquos liberos eat? &c. Agens omne agit pro dispositione & receptivitate subjecti sui: agit causa naturalis positis omnibus ad agendum requisitis & non impeditis. Quod si ergò seminia hæc parentalia non pari in omnibus tempore, nec eadem gravitate aut vehementiâ, in actum eant, non fit, quod non adsint, sed quod non excitentur; latitat enim anguis hic in herba, donec stimulatus aut irritatus proficiat. Impedimento sæpè est diversa liberorum natura & temperamentum, quò eodem rariùs gemelli, eadem licet matre nati, eodem sub eodem tempore uterò & hospitio usi, alimentò eodem nutriti gaudent, unde robustior unus plerunque, debilior alter, raroque uterque ex hac causa vivax deprehenditur; temperatur subinde onus seminis malitia alterius sexûs bonitate, promovet & suspendit præmaturam mali progerminationem mater ipsa uterum gerens suo jam magis jam minus indulgens genio, lactans rerum non naturalium usum, æt' is, sibi, pot' us &c. legitimum bonè vel malè observans, unde hæreditaria *Alcææ* in aliis, leviter præsertim impressa, facilè supprimitur & quasi deletur, in aliis magis radicatur & confirmatur. Fœtus ipse sibi suæque



valetudini quam maximè consulit, utque dispositio hæc vitiosa vel sopiatur, ve extincta in se penitus videatur curat, si hoc sibi sigillum impressum temperantiâ vitæ victusque eluere studeat, nec, quam parentes viam fortè monstrarunt intemperantiâ suâ ad hanc malam dispositionem, sequatur; si medicamentis convenientibus principiis obstiterit: scus si fit, qui sopiti in primis annis & juventute videntur hæreditarii igniculi, in provectiori sæpe ætate gliscere iterum, imò in nepotibus reviviscere incipiunt. Partem subinde mutat malum pro sanguinis ipsius dispositione miasmatis talis vectoris, membrorum constitutione, externarum causarum occasione modò huc modò illuc magis invitante, ad renes hincque derivatum, calculos, ad articulos protrusum chiragram, podagram, &c. ad alia apta loca præcipitatum ulcerum tam internorum, quàm externorum causa fit.

*Tantum!*

**DEO SIT LAUS ET  
GLORIA!**

